DESCRIPTIO PLEXUUM ABDOMINALIUM NERVOSORUM IN CORVO CORNICE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS ANATOMICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE GRYPHISWALDENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVII. MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCCLVIII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ROBERTUS AUGUSTUS JUNG,

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

F. MÜCKE, DR. MED. PRACT.

O. UECHTRITZ, DR. MED.

P. KLEIN. DR. MED.

GRYPHIAE,

TYPIS FRIDERICI HACHE.

VIRIS

HUMANISSIMIS AMPLISSIMIS ATQUE DOCTISSIMIS

J. BUDGE

PHILOSOPHIAE, MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, ANATOMIAE ET PHYSIOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI ANATOMICI ET ZOOTOMICI UNIVERSITATIS GRYPHICAE DIRECTORI

ETC. ETC.

H. T. DECANO MAXIME SPECTABILI

NEC NON

O. POHL

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, ANATOMIAE PATHOLOGICAE PROFESSORI, NOSOCOMII DANTISCANI DIRECTORI ETC. ETC.

PRAECEPTORIBUS SUMME COLENDIS.

HUNC LIBELLUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quum de eligenda dissertationis inauguralis materia incertus essem et quidnam sumerem animo volverem, Ill. Budge, nervum corvi cornicis sympathicum nec non eius anastomoses praeparare suasit, hujusque praeparati descriptionem perficere, quam conditionem benigne ac liberaliter oblatam propositamque lubentissime accepi. Ramificationes nervi sympathici ejusque anastomoses inquirere studui, quoad

eas oculis nudis videre licuit, quas describere conatus sum, brevi corvi cornicis anatomia, quoad pertinet ad hanc rem, nec non brevi anatomiae comparatae historia praemissa.

Quodsi quid novi jam notis addere mihi contigerit, id summae benevolentiae ac liberalitati Ill. Budge me debere profiteor, quare viro illi illustrissimo hoc loco gratias ago quam maximas.

Brevis anatomiae comparatae historia.

Aristoteles (383—322 a. Chr.), qui librum illum scripsit illustrissimum „de historia animalium" jure pater habendus est non solum zoologiae, verum etiam anatomiae comparatae. Quum medici veterum temporum inde ab Hippocrate usque ad Galenum et inde ab hoc per totum medium aevum ad studia anatomica praecipue animalibus uterentur, veteres corporum sectores sponte in zootomiam inque anatomiam comparatam incidere necesse erat. Primum opus, de anatomia comparata conscriptum, haberi debet „Zootomia Democritaea", quod opus anno 1 45 a Marco Aurelio Severino (1580—1656) editum est, in quo disseritur de ratione, quae interest inter zootomiam interque anatomiam corporis humani; fructuum, qui inde capiantur, mentio fit, quanti sit momenti zootomia, verbis afflrmatur gravissimis, id quod veteres jam corporum sectores tacite illi concesserunt. Vocabulo „ anatomiae comparatae," quo jam antea usus erat Franciscus Baco, aliam tamen voci subjiciens sententiam, primus usus est Thomas Willis (1622—1675), illustrissimus ille anatomicus anglicus, sensum subjiciens nunc usitatum. Comparavit ille omnis fere generis animalium partes generales cum homine. Haud ita multo post illum, anatomiam comparatam adjutricem medicinae

necessariam esse, omnium probabatur consensu (Samuel Collins, A systeme of anatomy 1685). Quum praecepta et instituta philosophica Baconis et Cartesii ad studia propria animos jam impulissent, studia illa valde adjuta sunt microscopiis inventis; eorum demum ope oculis aperta est humanis inferiorum animalium structura. Maximis laudibus ob merita hanc in partem zoologiae ornandi sunt Malpighi (1682—1694), Swammerdam (1637—1680) et Leeuwenhoeck (1632—1723). Wallis, secundum Malpighium animalibus quoque inferioribus operam dedit, ad anatomiam comparatam referens eorum naturam et structuram. Inde ab hoc tempore usque ad medium saeculum decimum octavum anatomia comparata nullos efficiebat processus. Haller demum (1708—1777) vitam illius denuo restituit, physiologiam experimentalem probans confirmansque, dum Buffon (1707—1788) novam aperuit viam anatomiae comparatae, structuram animalium ad unitatis rationem revocans. Ii vero, qui tum anatomiae comparatae operam dederunt, in eo erraruut, quod unitatem illam formationum et formarum peculiarium physiologicarum naturae et structurae nullis certis circumscriberent finibus. Quae omnibus jam fuere nota, certo niti fundamento et in ordinem quendam colligi ante omnia necesse erat; de animalibus vertebratis perbene scripserunt novaque attulerunt Daubenton (1716—1799), Camper (1722—1799) et Al. Monro (1732—1817).

Blumenbach quoque nominandus est, quippe qui primus sub finem saeculi decimi octavi scholas habuit de anatomia comparata, quae antea in anatomia humanorum corporum exponenda leviter in transitu attingebatur.

Vicq- d'Azyr (1748—1794) primus et satis copiose constitutam disciplinam anatomiae comparatae exstruere voluit. At quum ipsi, nec ipsi solum, verum etiam omnibus illorum temporum anatomicis, animalium evertebratorum structura non satis esset cognita perspectaque, quumque ipse morte praematura abriperetur, quae voluit, non est consecutus. Nec praetermittendus est silentio Kielmeyer (1765—1844), qui, quos adhuc fecerat progressus anatomia comparata, ad physiologiam communem extendere et proferre corporumque temperationis leges statuere voluit.

Structurae animalium forma primaria, usqne ad hoc tempus sola conjectura constabat, Etienne Geoffroy Saint Hilaire (1772—1844) primus argumenta rationesque ejus afferre suscepit (Philosophie anatomique. Paris 1818. 1822.) Stabilior tamen et constantior, quam philosophia anatomica Franco-Gallorum, quae constat rationibus, e conjecturis pendentibus, philosophia est naturalis Germanorum, quae cohaerens cum anatomia comparata, per Schellingum incitata amplificata et ad supremos amplissimosque gradus promota est per Laurentium Okenium (1774—1851). Liber, quem scripsit hac de re Okenius, quamquam nullo modo assecutus est, quod ille voluit, tamen uberrimos tulit fructus, quippe quum adversarios impelleret ad ipsum refellendum.

Georgius Cuvier (1767—1832) quasi parens zoologiae recentioris, nec non anatomiae comparatae habendus e st. Zoologiam, in artem quandam redactam anatomiamque comparatam, una arte concludere sibi proposuit, ita ut

de animalibus judicaret non ex una parte, id quod ipsius aequales facere solebant, sed ea ab omnibus ponderaret partibus. Literarum studia nostrorum temporum ita explicare student temperationis leges, ut temperationis mutationes inter se comparent, ut secernant propria et a re aliena, ut producant nobis uniuscujusque animalis propria. Joanni Friderici Meckelii (1781—1833), qui aequalis Cuvieri fuit, quique maxime meritus est de anatomia comparata, systema anatomiae comparatae non esse perfectum absolutumque valde dolendum est.

Novissimis temporibus viam, quam Cuvier est ingressus, omnes fere, qui hac de re scripserunt, persecuti sunt operamque dederunt embryologiae, quippe quum sperarent, fore ut, quae organa jam formata plana ac manifesta non redderent, in lucem proferret embryologia.

Brevis corvi cornicis anatomia.

Sceleton.

I. Ossa capitis.

Ossa cranii conjungunt se mature, et quidem tam arcte, ut evanescant suturae. Os occipitis constat primitus ex quatuor ossibus, corpore duabus partibus lateralibus et parte squamosa. In osse sphenoideo discernuntur corpus, in tenuitatem desinens, et ala magna, in unum corpus confusa, quae processum uncinatum, s. d. processum jugularem posteriorem superiorem, extra et infra mittit. Adsunt praeterea ossa quaedam tenuia, in fronte convergentia, quae in fronte cum osse palatino, a tergo cum osse quadrato, in medio cum osse sphenoideo articulantur, quaeque habenda sunt alae inferiores

ossis sphenoidei, dum alii illa nominant ossa communicantia. Os temporum constat e duabus partibus, e parte cranii, quae organon auditus amplectitur, quaeque constat e parte petrosa, squamosa et mastoidea, nec non e parte condyloidea, (osse quadrato, tympano), quae pars inter animalia vertebrata mammalibus tantum deest. In superiori fine duo sunt processus, quorum alter posticus major, rotundus, ut processus condyloideus, cum cranio coarticulatur, alter anticus alia parte non est conjunctus. Commemoranda quoque sunt ossa parietalia et frontalia, quae primum bina inveniuntur, tum vero coalescunt. Os ethmoideum constat e simplici tantum lamina perpendiculari, quae una cum osse sphenoideo septum format cavitatum orbitalium. Os incisivum, quod unum exsistit, prima est pars rostri superioris. Ossa maxillaria superiora parva in tergo sese conjungunt cum osse jugulari processu quodam zygomatico tenui, ita ut arcum forment zygomaticum.

Ossa nasalia, quae haud mediocri sunt magnitudine, ante ossa frontalia sita sunt mittuntque duos processus in frontem; quo fit, ut arcuata formetur excisura, quae nares post tergum includit. Extra os nasale et frontale, in anteriori margine cavitatis orbitalis, ossa lacrymalia posita sunt, admodum exculta et formata. Ossa palatina formantur duobus ossibus oblongis, tenuibus, latis et directis, quae post tergum partim inter se, partim cum processibus pterygoideis sunt conjuncta, ita ut moveri possint, dum in fronte cum osse maxillari superiori conjuncta sunt, ita vero ut moveri non possint. His interjacet vomer. Os zygomaticum perlongum et tenue, quod

in tergo cum osse quadrato cartilagine fibrosa, in fronte cum processu zygomatico ossis maxillaris superioris suturis conjunctum est, format arcum zygomaticum rectum, cui una cum osse maxillari inferiori paria intersunt intervalla. Os maxillare inferius constat ex una parte anteriori et e quinque partibus posterioribus, quarum unaquaeque ex binis constat. In locum processus condyloidei, quo mammalia proedita sunt, hic invenitur acetabulum cum osse quadrato coarticulatum, quod intus et superius processum mittit coronoideum nec non processum post tergum.

II. Ossa trunci.

Columna vertebrarum, quae ita est formata, ut literae S sumat formam figuramque, constat ex decem vertebris colli, ex octo vertebris dorsi et ex vertebris lumborum, quae ossi sacro et pelvi sunt coalitae, unde exsistit s. d. os sacrolumbale. Columna vertebrarum caudae constat e sex mobilibus vertebris, quarum quatuor ultimae praeter superiores processus spinosos, inferiores quoque mittunt; quorum processuum ultimus praeditus est pectinato, tríquetro et permagno processu spinoso.

Costarum numerus respondet vertebrarum dorsi numero; octo ergo sunt. Prima et ultima costa sternum non attingunt; secunda, tertia, quarta, quinta et sexta costa in media fere columna vertebrarum processum habent longum, adversum et costae sequenti incumbentem. Costae verae, inde a secunda ergo usque ad septimam, articulantur, ita ut moveri possint, cum ossibus sternocostalibus, quae altero fine coarticulantur cum margine laterali sterni.

Sternum, quod admodum est excultum, os format oblongum quadratum, cujus in superficie anteriori et in linea quidem media crista reperitur percrassa, cui adhaerent musculi pectorales. In fronte sternum sese jungit cum claviculis posterioribus per superficies articulares, inter quas processus decurrunt bini. Similis processus, qui multo tamen major est, in exteriori margine articulationis sternoclavicularis situs est. In posteriori fine duo sunt foramina ovata, membranisque fibrosis clausa.

Pelvis in tergo non clausa est ossibus ilii, quae cum osse sacrolumbali in unum os conjuncta sunt; id quod in fronte quoque non fit, quippe quum ossa pubis inter se non sint conjuncta. Os ischii ita junctum est cum osse ilei, ut incisura ischiadica mutetur in foramen magnum, quod situm est post acetabulum. Os pubis admodum tenue, inferiorque ossis ischii margo paribus inter sese distant intervallis.

III. Ossa extremitatum.

Ossa humeri constant ex scapula tenui, falcata, longa, quae in tergo et in superiori parte superpendet costae quintae et in fronte conjuncta est telā fibrosā cum clavicula hamata. Praeter hanc claviculam posteriorem, altera adest clavicula anterior, formae literae V similis, quae format s. d. furculam.

Os brachii coarticulatur cum superficie articulari, quae formatur claviculā hamatā et scapulā. Ossibus maximis extremitatum superiorum formantur duo ossa antibrachii; tum sequuntur duo ossa parva, quibus formantur ossa carpi, quae continuantur ossibus metacarpi formatis osse simpliciter coalito.

Os femoris paululum longius est dimidia longitudine ossium cruris. Fibula tenuissima est et sese applicat tibiae jam inprima ejus longitudinis parte, in tres particulas divisae. Ossa tarsi desunt. Ossa metatarsi formantur osse perlongo et crasso, quod infra exit in quatuor rotulas, destinatas quatuor ossibus digitorum pedis. Hallux constat ex una phalange, secundus pedis digitus constat ex duabus phalangibus, tertius idemque longissimus ex tribus, quartusque ex quatuor constat phalangibus.

Organa digestionis.

Oesophagus, (Fig. II., D.) qui in collo post tracheam descendit, intusque paululum se plicat, dilatat se 1″ fere post linguae basin, ita ut fiat extensio sacco similis s. d. ingluvies; post quam oesophagus in artius coit, descendens inter tracheam et columnam vertebrarum ad cavum thoracis. Oesophagi finis dilatatur in utrem infundibuliformem admodumque musculosum s. d. ventriculum succenturiatum, (Fig. I, D.) cujus membrana mucosa instructa est multis glandulis, quae in ordinem quendam et structuram continuam redactae sunt, quarum unaquaeque tenui praedita est apertura, quam nudis jam oculis videre licet. Ventriculus succenturiatus, admodum carnosus pro oesophago, quippe quum ipsius paries multo crassior (5—6) sit quam ille, recta via transit in s. d. ventriculum. Dum membrana mucosa ventriculi succenturiati aegre tantum magnoque labore detrahi potest, membrana mucosa ventriculi facillime, tractu tantummodo levi adhibito, separa-

tur atque detrahitur. Ventriculus (Fig. I, E. Fig. II, C.) haud exigua est magnitudine et crassitudine parietum. In anteriori posteriorique pariete invenitur rotundus radiatusque discus tendineus, qui circumdatus est musculis multo crassioribus quam discus ipse est tendineus. In superiori parte posterioris parietis abit canalis intestinalis haud longe remotus ab ostio ventriculi succenturiati. Serpit canalis intestinalis erratico lapsu et multiplici, qui lapsus flexusque mesenterio affixi sunt, dum omenta propria desunt. Longitudo totius ductus intestinalis inde ab initio intestini tenuis usque ad cloacam est 112 Cm. Intestini tenuis decursus singularis est, quippe quod caesura ejus intestino duodeno respondens descendente et ascendente parte semper plus minusve longam format ansam, in qua invenitur pancreas, quod 1″ longum, fulvoque est colore. Intestinum tenue (Fig. I, F. Fig. III., B.) transit postremo in intestinum crassum, (Fig. I, G. Fig. III, C.) non multo latius, circiter 2″ longum rectaque ante columnam vertebrarum descendens, quod initium capit e duobus intestinis coecis, quae sex fere linearum longitudine multo sunt angustiora. Intestini crassi finis format cloacam. (Fig. III, D.)

Hepar (Fig. I, C. Fig. II, B.) badium constat ex duabus partibus nequaquam inter se cohaerentibus, e majori dextero et e minori sinistro lobo hepatis, ita ut ratio fere sit 4 : 3, qui majorem anterioris parietis ventriculi partem ($\frac{3}{4}$) omnino tegunt et ita siti sunt, ut cordis apex conveniat superiori parte loborum hepatis, ita tamen, ut his non separetur a pariete thoracis.

Lien (Fig. I, H.) maxima e parte in sinistra corporis parte situs est formatque corpus badium circiter $1\frac{1}{2}''$ longum, 4—5''' latum, rotundumque, prae aliis haud exigua magnitudine.

Quod attinet ad vesicam felleam, quae est magnitudine mediocris avellanae glaucoque colore, conjuncta est apertură quodam cum ductu cystico, qui una cum ductu hepatico transit in ansam intestini duodeni, (amplectuntur ductus cysticus nec non hepaticus venam portarum) extra quasi bulbum, intra umbilicum formantes apertură instructum.

Organa vocis et respirationis.

Aër apud aves omnino per nares intrat in glottidem, quae est rima oblonga in superiori larynge. Larynx constat ex cartilagine quae jam in ossa transiit; in fronte est lamina ossea magna, quae una tantum exsistit quaeque finitima est duabus ossium particulis, minoribus, oblongis inque linea media non arcte inter se conjunctis, quae ossium particulae in veteribus avibus separatae apparent anteriori lamina ossea, in novellis vero illi conjunctae. His tribus ossium partibus conjunctis cartilago formatur thyreoidea. Lamina cartilaginis thyreoideae cristam habet in tergo intus exstantem, quae cavitatem laryngis, at non totam, in duas dividit partes aequales. Processus quoque sursum pertinet, triangulus similisque epiglottidi mammalium, quo factum est, ut Henle hunc processum nominaret processum epiglotticum. Cartilagines arytaenoideae tenues et triangulae glattidem definiunt. Ligamenta glottidis desunt in superiori larynge, at mus-

culi adsunt similes musculis hyothyreoideis, circothyreoideis, thyreo-arytaenoideis posticis et thyreoideis lateralibus. Trachea (Fig. II, G.), quae longa est circiter $2\frac{1}{2}''$, constat ex quadraginta tribus annulis cartilagineis, quorum alius juxta alium situs est; descendit trachea in anteriori colli parte ante oesophagum ad laryngem bronchialem dividiturque in initio cavi thoracis in duos bronchos, (Fig. II, F.), qui novem fere linearum longitudine dimidiaque tracheae latitudine annulis formantur dimidiis pertinentque usque ad pulmones. Larynx bronchialis, qua efficitur vox, in superiori parte cavi thoracis sita est et, ut jam supra dictum est, supra bifurcationem. Format larynx bronchialis cavum quadratum, quod subtus cristā osseā a fronte in tergum decurrente, in fine in duas dividitur partes laterales, respondentes aperturis duorum bronchorum, quae duplices glottides habendae sunt.

Pulmones (Fig. I. A. O. Fig. II, E.) constant ex duabus partibus aequaliter ac congruenter juxta columnam vertebrarum sitis, a prima costa usque ad sextam dependentibus planeque separatis. Admodum sunt parvi, ubi comparantur cum pulmonibus mammalium, formā oblongā ovatā, habentque in posteriori interiori superficie quatuor sulcos duarum sive trium linearum altitudine, quos clare videre licet quique efficiuntur collis costarum vertebrisque quibus superjacent. Bronchus format, quo loco intrat in pulmonem cavitatem latam vesicae similem multisque foraminibus terebratam. Praebent pulmones adspectum rubicundum structuraque sunt, jam ubi nudis adspiciuntur oculis, clare cellulosa. Ubi premuntur aut inciduntur, crepitant exprimique potest ex illis spuma cruenta.

Organa urinaria.

Renes (Fig. I, J. M.), qui finitimi sunt pulmonibus et infra quidem, formant duo corpora circiter octo aut novem lineas longa fabaeque similia; incisuris instructi sunt sicuti pulmones in posteriori interiori superficie, quae incisurae oriuntur a costis infimis et inprimis a processibus transversis ossis sacri. Uterque ren constat ex tribus lobis primariis, suntque renes colore badio. Ureteres, decurrentes in anteriori renis superficie, incurrunt in tergo et supra in cloacam. Vesica urinaria deest. Praeterea inveniuntur in anteriori renum superficie utrisque in lateribus glandulae suprarenales (Fig. I, L.), quae corpus formantes sufflavum, pisi magnitudine, obteguntur maximam partem testiculis et ovario.

Organa circuli sanguinis.

Cor (Fig. I. B. Fig. II, A.) non exigua est magnitudine admodumque musculosum, inprimis ventriculus sinister. Cor format corpus oblongum, supra latum, infra in tenuitatem desinens, quod in media corporis linea post sternum ante pulmones, ante superiorem ventriculi partem et hepar situm est. Sulcus circularis s. atrioventricularis, qui est in fine atriorum nec non ventriculorum, parum est excultus et formatus sicuti auricula cordis. Ventriculus sinister, quamquam est longior, tamen multo est angustior dextero. Inter dexterum ventriculum et atrium valvula est quaedam singularis admodum crassa et ampla formataque ex musculosis fibris longitudinalibus, quae inde a dextero pariete ventriculi ad septum currit oblique. Fossa ovalis semper est clausa. Sinistrum minus atrium musculosius est venaeque pulmonales com-

muni utuntur apertura valvulis instructa. Ostia venarum in dextero atrio valvulas habent vulgares. In initio arteriae aortae et arteriae pulmonalis tres valvulae sunt semilunares, nodulo praeditae. - Pericardium est tenuissimum. Arteria aorta truncum habet perbrevem, ex quo oriuntur duae arteriae coronariae cordis; qui truncus sese dividit in tres ramos primarios, a dextero latere in sinistrum decurrentes: in aortam descendentem, in truncum anonymum dexterum et sinistrum. Carotides in canali decurrunt processuum transversorum vertebrarum colli. Arteria clavicularis sub furculam extra currit arteriamque brachialem ad alam mittit arteriamque thoracicam, quae multo est crassior, ad musculum pectoralem majorem. Aorta descendens (Fig. I, α. Fig. III, α.) super bronchum dexterum currit ad columnam vertebrarum, descendit inter pulmones mittitque in abdomine hos ramos majores: arteriam coeliacam (Fig. I, β.) mittit in ventriculum, hepar et lienem, arterias mesentericas (Fig. I, γ. ε. Fig. III, β.), arterias renales in superiori et inferiori parte in transversum currentes, arteriam femoralem anteriorem tenuemque et posteriorem multo crassiorem. Quas arterias ubi misit, decurrit ut arteria sacralis media, (quo nomine nunc nominatur,) truncum formans tenuem in pelvim, ubi in ramos diffunditur. Simplex truncus arteriarum pulmonalium statim abit in duas arterias pulmonales, in pulmones abeuntes, venae quoque pulmonales, in unum ramum conjunctae, intrant in atrium sinistrum. - Vena portarum ex visceribus praecipue sanguinem haurit, praeterea ex ramo crasso trunci venarum caudae ex posterioribus extremitatibus. Sanguis

anterioris partis corporis per duas venas cavas superiores in atrium fluit dexterum; oriuntur illae venae ex vena jugulari et claviculari, vena jugularis dextera multo crassior est ampliorque quam sinistra. Vena cava inferior s. posterior, multis crassis venis renalibus praedita, sanguinem ducit posterioris corporis partis in atrium dexterum.

Nervi.

Nervus vagus (Fig. I, a. Fig. II, a. b.) a vena jugulari in collo extra descendit plexusque format, e quibus exeunt rami ad pharyngem, ad pulmones, ad ventriculum et ventriculum succenturiatum; ramos quoque mittit recurrentes ad musculos laryngis bronchialis. Vagus, ut hoc addam, et in origine sua et in decursu cum nervo glossopharyngeo arcte sese conjungit et consociat, ita ut ramos mittant communes ad pharyngem et laryngem superiorem, qui rami in mammalibus a nervo vago solo oriuntur. Eodem modo jam intra cranium nervus vagus sese jungit cum nervo accessorio.

Decursus vagi singularis propriusque hic est:

Ubi venit in cavitatem thoracis, deorsum descendit post angulum, quem arteria anonyma format, in carotidem et arteriam subclaviam divisa, et ante plexum brachialem deorsum descendit; tum sinistra in parte juxta latus bronchi sinistri deorsum decurrit transitque in ventriculum succenturiatum, ramos diversos mittens formansque, tum transit in ventriculum, ubi partim in ramos diffunditur, partim ramos mittit diversos ad intestinum duodenum. In dextera parte deorsum quoque decurrit inter arteriam anonymam et plexum brachialem, super

arteriam pulmonalem inter hanc et aortam descendentem; sub vena cava inferiori s. posteriore deorsum currit in anteriorem partem ventriculi succenturiati, ubi cum alterius lateris vago, saepius multumque sese conjungens, simili decurrit modo ac ille.

Nervus sympathicus.

Truncus nervi sympathici a supremo, admodum magno ganglio deorsum per supremas vertebras colli intrat in canalem osseum processibus vertebrarum transversis formatum, quo loco in vasis vertebralibus ganglia format, quae conjungunt se nervis spinalibus respondentibus. Quo ex canale ubi exiit, super plexum brachialem, ubi ganglia format admodum firmiter inhaerentia, in cavum thoracis intrat; hic, ubi multo crassior ampliorque est quam in collo, ante capitulum uniuscujusque costae ganglion (Fig. I, b.) efficit permagnum, quod mittit binos ramos nerveos deorsum, unum ante collum costae, alterum post collum ad ganglion, quod sequitur. Inde a quarto ganglio usque ad octavum et rami exeunt, quibus oriuntur rami splanchnici, et rami, quibus sese conjungunt rami splanchnici. Rami splanchnici utriusque lateris sese conjungunt in initio arteriae coeliacae (Fig. I, β.) et circum aortam descendentem (Fig. I, α.), ubi illam mittit, ita ut plexum formet coeliacum (Fig. I, d.), qui plexus mittit ramos, quorum nonnulli tenues in sinistrum ad lienem abeunt, quorumque unus et primarius quidem, arteriam coeliacam sequitur ejusque ramificationes ultimas ad ventriculi superficiem, ubi cum illis in ramos diffunditur, ita ut evanescat. Nec non rami nonnulli (Fig. I, e.) in dexteram abeunt partem, qui una cum ar-

teriis circa ventriculum currunt et partim in laterali ejus superficie in ramos diffunduntur, partim ad hepar abeunt et utroque loco cúm ramis nervi vagi sese conjungunt. Denique ex plexu coeliaco oriuntur rami, qui in dexterum ad superficiem oesophagi ducuntur ibique cum arteriis oesophageis in ramos diffunduntur.

Plexus coeliacus humani corporis plexum semilunarem format, qui circumdat arteriam coeliacam, quo loco dividitur (s. d. tripus Halleri), in tergo peritonaei, ante crura interna diaphragmatis, formaturque nervo splanchnico majori et minori, plexu oesophageo et gastrico magno nervi vagi et ramo phrenico-abdominali nervi phrenici.

Hoc quoque commemorandum est, exire cum unoquoque octo gangliorum ramum communicantem brevem et admodum crassum per foramina intervertebralia ex medulla spinali, qui, ubi non acurate adspicitur, simplex esse videtur, qui tamen ita comparatus est, ut ope tenuis tenaculi facillime separetur in radicem anteriorem et posteriorem. Praeterea in latere unius cujusque ganglii ramum videmus permagnum, nervum dico intercostalem, (Fig. I, c.) qui ducitur ad planitiem anteriorem parietis thoracis mittitque, postquam apparuit, nonnullos ramulos tenues ad musculos dorsi.

Ex septimo et octavo ganglio, nec non ex ramis nonnullis e ramis splanchnicis ortis, plexus fit mesentericus superior, (Fig. I, f.) in quo duo adspiciuntur ganglia, quae nominare licet ganglia mesenterica superiora. Oriuntur ex hoc plexu tres rami, quorum infimus fibras accipit ex duobus gangliis; hi tres rami in ramos dif-

funduntur in intestino tenui. Praeterea supremus ramus ramulos nonnullos mittit ad lienem infimusque ramulum ad glandulam suprarenalem, (Fig. I, L.) quae alterum accipit ramulum a infimo posteriori ganglio. Cujus plexus pars amplectitur arteriam mesentericam superiorem (Fig. I, γ); plexus ipse cum ramis inter laminas mesenterii situs est.

Corporis humani plexus mesentericus superior formatur nervis, qui oriuntur ex ipso inferiori margine mediae partis plexus coeliaci et inter laminas mesenterii cum arteria mesenterica superiori, quam amplectuntur reti maculis latis distincto, ad intestinum jejunum diffunduntur, ad intestinum ileum, ad coecum, colon adscendens et ad transversum.

Nervus sympathicus tum decurrit deorsum sequens os sacrolumbale. Iterum formans tumores gangliosos (Fig. III. a.), e quibus exeunt una cum aortae ramulis rami, qui se conjungunt nervis sacrolumbalibus (Fig. III, b.) et eo quidem, loco quo exeunt evanescit, in regione anteriorum vertebrarum caudae

Plexus mesentericus inferior (Fig. I, g. Fig. III. c,) gignitur ex ramis nervorum sacrolumbalium et eo quidem, loco quo exeunt. Quo ex plexu oritur ramus, qui arteriam mesentericam inferiorem (Fig. I, ε.) sequitur, ita tamen, ut sit separatus ab illa venā mesenterica inferiori, Qui ramus haud longe remotus a plexu format ganglion, quod nominare licet ganglion mesentericum inferius, mittitque ramulos ad cloacam, nec non toto in decursu ramulos mittit ad intestinum crassum et tenue

una cum ramulis arteriae modo dictae. Hic quoque plexus decurrit cum ramis inter laminas mesenterii.

Plexus mesentericus inferior humani corporis ramos capit praecipue a plexu aortico inferiori, amplectitur arteriam mesentericam inferiorem, cujus sequitur ramos inter laminas mesocoli ad colon descendens et ad intestinum rectum.

VITA.

Robertus Augustus Jung, confessioni evangelicae addictus, natus sum in Saxoniae oppido Suhl, patre Christiano, matre Friderica, e gente Baestlein, parentibus optimis dilectissimis, quos pie amplector, et, ut multos etiam per annos mihi servare velit, Deum oro et obsecro. Primis literarum elementis domi imbutus gymnasium adii Schleusingense, quod tunc florebat et adhuc floret Directore Prof. Dr. Hartung. Testimonio maturitatis instructus Lipsiam me contuli, ubi ab Ill. Haenel t. t. Rectore Magnifico in universitatem literarum receptus numeroque civium academicorum adscriptus sum. Per quatuor semestria hasce audivi lectiones.

Cel. Petermann: de botanice. Eundem ducem secutus sum in excursionibus botanicis.

Cel. Reichenbach: de plantis medicinalibus.

Ill. Poeppig: de zoologia.

Ill. Hankel: de physice.

Ill. Erdmann: de chemia organica nec non anorganica.

Ill. Naumann: de mineralogia.

Ill. Hartenstein: de logice.

Cel. Lindner: de psychologia, anthropologia.

Cel. Knetschke: de encyclopaedia et methodologia medica.

Cel. Ed. Weber: de osteologia, syndesmologia, neurologia.

Ill. E. H. Weber: de planchnologia, angiologia, myologia, de anatomia universali, de anatomia topographica, de physiologia cum exercitationibus in usu microscopii de arte cadavera rite dissecandi.

Cel. Carus: de anatomia comparata.

Cel. Funke: de embryologia.

Ill. Radius: de materia medica, de psychiatrice.

Cel. Sonnenkalb: de medicina forensi.

Cel. Clarus de pathologia et therapia universali.

Cel. Bock: de anatomia pathologica, de exercitationibus in diagnostice physica.

Ill. Günther: de anatomia chirurgica, de akiurgia, de chirurgia generali.

Ill. Streubel: de arte fascias chirurgicas rite alligandi una cum exercitationibus.

Tum tempore Paschali a. h. s. LVI almam literarum universitatem Gryphiswaldensem petii, ubi Ill. Vogt t. t. Rector Magnificus in civium academicorum numerum, Ill. Bardeleben t. t. Decanus Maxime Spectabilis in gratiosi medicorum ordinis album me recepit, ibique hos praeceptores disserentes audivi:

Exp. Hoppe: de anatomia microscopica.

Exp. Ziemssen: de auscultatione et percussione; de exercitationibus practicis in diagnostice physica; de morbis cutis cum demonstrationibus.

Exp. Haeckermann: de politia medica.

Cel. Eichstedt: de arte obstetricia; de infantum, mulierum, puerperarum morbis; de operationibus obstetriciis; de operationibus obstetrtciis in phantomate peragendis.

Cel. Laurer: de arte formulas medicaminum rite concinnandi.

Cel. Pohl: de morbis syphiliticis cum demonstrationibus; de histologia pathologica; de morbis chirurgicis organorum uropoëticorum et sexualium; de arte fascias chirurgicas rite alligandi una cum exercitationibus.

Ill. Budge: de anatomia cerebri et medullae spinalis; de exercitationibus microscopico-physiologicis; de arte cadavera rite dissecandi.

Ill. Haeser: de historia medicinae.

Ill. Niemeyer: de pathologia et therapia speciali; de cerebri et medullae spinalis morbis; de morbis psychicis; de morbis organorum uropoëticorum.

Ill Bardeleben: de chirurgia tam generali quam speciali; de opthalmiatrice; de akiurgia; de ossium fracturis et luxationibus; de morbis extremitatum chirurgicis et de operationibus in iis instituendis; de operationibus chirurgicis in cadavere conficiendis.

In Clinico obstetricio Cel. Eichstedt, in medico Ill. Niemeyer, in chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Bardeleben duces mihi fuerunt humanissimi ac benevolentissimi.

Quibus praeceptoribus omnibus carissimis, optime de me meritis, gratias ago quam maximas, quantumque iis debeam, pio

gratoque animo semper recordabor. Inprimis autem obstrictissimum profiteor animum Cel. Pohl, cujus eximia benevolentia atque humanitas erga me semper in memoria mea manebit.

Jam tentaminibus, tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina, chirurgia, arte obstetricia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Inter methodos maxillae superioris exstirpandae methodus Dieffenbachii longe praestantissima.

II.

Frigoris applicatio, ut in aliis inflammationibus, sic in pneumonia optimum remedium.

III.

In gonorrhoea urethrali ceteris remediis injectio valde praeferenda.

IV.

Cerebromalaciam morbùm cerebri proprium esse nego.

V.

Ex omnibus graviditatis signis pulsatio cordis foetalis gravissimum est.